

et veluti extraordinarie, immediata. Ita et Eybel damnatus a Pio VI Brevi *Super Soliditate*.

Sententia catholica est iurisdictionem ordinariam Romani Pontificis esse immediatam in fideles quosvis tam seorsim singulos, quam simul omnes, hucque spectare institutionem Primatus ut huiusmodi iurisdicatio obtineat. Falluntur scilicet ii qui putant 1) eatenus Romanum Pontificem esse Ecclesiae caput, quia est primus inter hierarchas: et idcirco 2) non aliter ad gregem universum referri nisi per illos ipsos hierarchas, atque ad singulos hierarchas nisi per gradus medios et interiectos: ipsumque 3) proinde vocari et esse universalis Ecclesiae Episcopum tantummodo mediate. Quare e contrario iuxta doctrinam catholicam spectanda est Ecclesia veluti una familia, cuius unus est Pater, qui omnium et singulorum bono consulit, omnes et singulos pascit et regit: et sicut, auctore Cypriano, Ecclesia est plebs sacerdoti suo adunata, et pastori suo grex adhaerens, ita universa Ecclesia est universa plebs fidelium uni Sacerdoti hoc est Episcopo et Pastori adunata et adhaerens, ut tota uni Episcopo immediate subsit. Probandum est igitur institutionem Primatus eo spectare ut iurisdicatio ordinaria Romani Pontificis immediate completatur tum generatim singulos quosque fideles, tum speciatim ipsos quoque Episcopos qui et ipsi fideles sunt; atque hos omnes non tantum seorsim singulos sed et simul omnes sumptos; ex quo consequitur iurisdictionem huiusmodi esse vere episcopalem in universam Ecclesiam, ideoque Romanum Pontificem in ipsos Episcopos iurisdictionem Episcopalem habere.

III. Sane 1) Romanus Pontifex solus habet a Christo claves regni caelorum quod est Ecclesia; potest ligare et solvere quaecumque et quoscumque ipse censet in Ecclesia, et ita ut nemo solvere possit quod ipse ligat, nemo ligare quod ipse solvit, atque idcirco absque concursu alterius auctoritatis possit ipse ligare et solvere quae censet liganda aut solvenda (Th. I. in haec verba Christi); atqui haec est iurisdicatio immediata quoad omnes et singulos fideles: ergo. Pro minor. Potestas universalis quoad omnia negotia et quoad omnes personas, atque independens in exercitio sui et nullius alterius potestatis cooperationis indigens, est immediata iurisdicatio in omnia membra societatis: atqui potestas descripta clavium regni est talis; ergo. Maior est evidens: nam si potestas se extendit ad omnia et omnes, et non indiget concursu alterius auctoritatis vel paris vel inferioris ut efficax sit, ipsa immediate regit omnes personas societatis: minor quoque evidens est ex superius demonstratis: ergo.

2° Romanus Pontifex est profecto Pastor; ergo aliquos immediate pascit. Consequentia evidens est etiam in sententia adversariorum;

quia nisi aliquos immediate pascat, nequit esse aut concipi pastor. Iam vero quinam sunt quos Romanus Pontifex immediate pascit? certe illi qui eidem pascendi traditi sunt a Christo: nam aut hi aut nulli: non enim est Pastor nisi quia Christus ipsi aliquos pascendos commendavit. Atqui Christus ipsi pascendos tradidit omnes, agnos scilicet suos et oves suas, praeter agnos vero et oves Christi nihil est in Ecclesia; ergo omnes immediate pascit. Et sane iuxta adversarios Romanus Pontifex oves saltem aliquas immediate pascit: cur vero nisi quia Christus ei dixit *pasce oves meas?* atqui pariter Christus ei dixit *pasce agnos meos*, et non dixit aliquas oves aut aliquos agnos sed *oves meas, agnos meos*, quibus verbis universi fideles comprehenduntur: ergo.

3° Dices Romanum Pontificem esse petram Ecclesiae: in materiali autem aedificio non omnes lapides immediate adhaerent fundamento, sed praeter paucos ceteri mediate: ergo et in Ecclesia non omnes immediate reguntur a Petro. Verum si non leviter, sed penitus rem consideres, oppositum prorsus colliges. Oportet enim habere rationem rei significatae per Petram seu fundamentum. Id porro probavimus esse auctoritatem supremam in Ecclesia et independentem. Iam vero proprium est auctoritatis supremae et independentis in societate ut omnes ei immediate subsint, ita ut legibus eius eiusque sententiis absque alia auctoritate intermedia obligentur: ergo talis quoque est iurisdicatio Petrae Ecclesiae.

Institutionem Christi agnoverunt Patres. Sane Romanus Episcopus frequenter vocatur ab his *Episcopus* seu *Patriarcha oecumenicus*; τῷ ἀγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ δίκουμένικῳ ἀρχιεπισκοπῷ καὶ πατριάρχῃ Δεσποντι, aiunt libellum offerentes lectum in Chalcedonensi Synodo Theodorus et Ischyrius Diaconi Alexandrini, Athanasius Alexandrinus presbyter, et Sophronius; eadem appellatio occurrit facta Agapito in Conc. Constantp. sub Menna; pariter in Concilio VI. Donus vocatur a Constantino Pogonato *oecumenicus* Papa, et in Chalcedonensi Concilio sic subscripsit Legatus Paschasinus: «Paschasinus episcopus Lilybetanae, vicarius beatissimi atque apostolicae *universalis Ecclesiae Papae* urbis Romae Leonis» etc. ipseque Leo in epist. LXIV ad Marcianum, sibi hunc titulum tribuit. «*Leo Episcopus romanae et universalis Ecclesiae.*» Pariter sententia est Patrum *unam esse cathedram in Ecclesia*, quae est cathedra Romana seu cathedra Petri ut audivimus ab Optato et a Cypriano, *ac omnes eos proprie regi a Petro quos principaliter regit Christus*, ut ait Leo serm. III. in assumpt. sua, atque «*curam b. Petri praesentes habere omnes fideles licet longissime dissitos*»; ut loquitur Caelestinus in litteris ad Patres Ephesinos: cui similia habet Gelasius ad

Aeonium epis. arelatensem: « quanto enim totius ovilis curam Christo Domino delegante susceptam b. Petri gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas Ecclesias, earumque rectores amplectitur »; cf. et testimonium Bernardi mox afferendum. Atqui titulis huiusmodi et assertionibus continetur evidenter ea doctrina quam defendimus. Cathedra enim formaliter spectata est auctoritas: porro nequit esse una singularis cathedra in tota Ecclesia, h. e. cathedra Romana nisi auctoritati unius Romani Episcopi omnes fideles immediate subsint; immediate enim omnes subesse oportet alicui supremae auctoritati; haec autem si pluribus est communis, vel non erit una cathedra in Ecclesia, vel ea ex collectione veluti omnium episcopalium cathedrarum coalescet, non erit autem una cathedra Romana; atqui una est cathedra in tota Ecclesia, ipsaque est cathedra Romana; ergo. Et sane Episcopus iuxta Ecclesiasticum concipiendi modum est Pastor immediatus: habet enim proprias oves, oves autem propriae dicuntur illae in quas immediata est auctoritas, quas nempe regendi actibus suae potestatis citra ullum medium ius quis habet: atqui Romanus Pontifex sicut est Episcopus Urbis, ita pariter est Episcopus Orbis: ergo. Quocirca ipse proprie pascit et regit omnes quos pascit et regit Christus, ut ait S. Leo I. c. potestate scilicet vicaria quae immediata est, eiusque curae omnes fideles sunt praesentes, quod immediatam iurisdictionem aperte significat: ergo. Hanc immediatam potestatem universalem expressit Nicolaus I epist. 8^a ad Imper. Constantip. affirmans « se ius habere non solum monachos, verum etiam quoslibet clericos de quacumque dioecesi cum necesse fuerit ad se convocare, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare ».

Idem in Conciliis oecumenicis confirmatum est. Sane in Lateranensi IV, c. 5. De Romana Ecclesia dicitur quod « disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra ». Mater Ecclesiarum omnium dicitur Ecclesia Romana ratione quidem *auctoritatis*, qua universam familiam Christianam ut mater regit: « Ecclesia Romana (ait Innocentius III ep. 209, L. II.) mater dicitur non ratione temporis, sed ratione potius dignitatis... quoniam privilegio dignitatis universis fidelibus est praelata ». Porro ratione *originis* quoque, si ipsam spectes quidem *materialiter* prout est Ecclesia certo tempore fundata, ipsa non fuit prior nec mater omnium; si vero spectes *formaliter* in suo capite, qui est Petrus, sicut ab ipso Ecclesia omnis et iudaica et gentilis ortum habuit, primus enim Petrus utramque fundavit, ac praeterea singulares alias Ecclesias ab Apostolis institutas Petrus semper ut princeps regebat; sic et Ecclesia

Romana ratione quoque originis dici potest Mater omnium Ecclesiarum. In Concilio pariter Florentino definitum est Romanum Pontificem esse « totius Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere ». Atqui relatio filiorum ad Patrem vel Matrem quibus obedire tenentur, discipulorum ad Magistrum vel Doctorem, cuius doctrinam sequi debent, est immediata: parentes enim suos filios immediate regunt, doctores suos discipulos, qui illud tenentur discere quod ipsi docent eo quod ipsi docent, immediate instruunt; omnes autem Christiani sunt filii et discipuli Romani Pontificis cui obedire tenentur, et cuius magisterium sequi debent: ergo.

In Tridentina Synodo Sess. XIV, cp. 7^a de reservatione casuum, docemur quod « merito (nam ad Christianam disciplinam id magno pertinet, ut immediate prius dicitur, redditur nempe ratio non potestatis, sed honesti usus potestatis) Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt iudicio reservare ». Potest nempe Romanus Pontifex reservare sibi casus in universa Ecclesia; idque non ex concessione Episcoporum, sed pro suprema sua potestate quae ei tradita est utique a Christo. Iam vero nemo sibi absolvenda reservare potest nisi peccata suorum subditorum: oportet enim ut ab iis possit ipse absolvere, at nemo, ex ipsa Tridentini doctrina cp. eodem, nisi suos subditos potest a peccatis absolvere. Ergo in foro interiori omnes Christi fideles Romano Pontifici subiiciuntur, ipseque omnes a peccatis absolvere potest; ergo est omnium pastor immediatus. Hinc Albertus M. in IV. D. XIX, a. 10: « Ad aliud dicendum quod loco Christi in terris non est nisi unus Papa; et ille potest facere (id est absolvere) in omnibus; sed alii in partem sollicitudinis vocati sunt: et ideo non licet eis extendere iurisdictionem ultra quam permissum est ». Et S. Thomas contra impugnantes Relig. c. IV « Ad illud quod obiicitur, quod quilibet tenetur in anno semel confiteri proprio Sacerdoti, dicendum quod sacerdos *proprius* non solum est parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura eius quam ad Sacerdotem ».

IV. Ergo et ad singulos Episcopos se porrigit immediata iurisdictione Romani Pontificis. Nam argumenta allata quidquid valent, valent quoque in Episcopis. Regit enim immediate Romanus Pontifex eos omnes qui ad aedificium Ecclesiae spectant quod super ipsum Petram incumbit, eos omnes qui sunt in regno, et a Petro distincti sunt, pascitque omnes nedum agnos sed et oves; atqui inter hos sunt quoque Episcopi, qui veluti columnae aedificii a Petra sustentantur, qui principes in regno regi subsunt, qui oves sunt in ovili Christi: ergo. Hinc quemadmodum Romanus Pontifex dicitur Episcopus uni-

versalis, ita et *Pastor Pastorum, Episcopus Episcoporum, Pater Patrum* appellatur. Tertullianus De Pudicitia c. 4. « Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium: *Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum*, edicit: ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto ». Is porro erat Zephirinus Romanus Episcopus. Titulos autem illos vere datos fuisse Episcopis Romanis non confictos ab haeretico Tertulliano per ironiam, manifestum est: his enim probatur edictum propositum *peremptorium* esse, quod quidem a catholicis non ab haereticis tale esse dicebatur. Ii ergo erant qui his titulis Romanos Episcopos honestabant. Bernardus De Consid. L. II, c. 8. « *Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor.* Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut regni? *oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur ubi distinguitur nihil* ». Ita Pius VI in Responsione ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensis etc. praestituto ex verbis Domini Primatu Romani Pontificis; pergit: « Quinimo Patres et Concilia tam ante quam post Gregorium M. inito veluti inter se foedere Romanum Pontificem certatim appellaverunt *Sacerdotem Sacerdotum, Patrem Patrum, Pastorem Pastorum, Episcopum Episcoporum, et Episcopum universalem*.... Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta Petro peculiarem in modum attributa *sicut auctoritatem prae se fert in omnes fideles ordinariam atque immediatam, ita eandem prae se fert auctoritatem ordinariam atque immediatam in omnes pastores*, qui, quacumque demum praeferant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, *ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias, ii; si Pontificem spectes, non nisi ovium numero habeantur* ».

V. Nunc probandum est fideles omnes quoque simul sumptos potestate ordinaria et immediata regendos esse a Petro. Duplici modo possunt simul sumi omnes fideles et Pastores eorum. Primo quidem ut tantum intelligatur collectio omnium, sive multitudo in unitatem coacta, licet per orbem dispersa sit, et singuli Pastores in suis sedibus maneant. Deinde vero ut intelligatur collectio sive adunatio personalis omnium in unum conventum in unam Synodum, in qua simul aliquid tractent et decernant. Id autem non nisi quoad ipsos Pastores habuit unquam et potest habere locum. Utroque modo sumptos omnes fideles potestate ordinaria immediata regit Romanus

Pontifex. Scilicet potestas ordinaria et immediata Romani Pontificis ideo est instituta ut non attingat tantum hos aut illos singillatim ita ut tantum imperare possit his aut illis prout singuli sunt, vel prout sunt singulae particulares ecclesiae; sed 1° attingat omnes simul collectos prout constituunt unum integrum corpus societatis, licet toto orbe diffusae, atque huic toti corpori leges praescribere possit, in eoque ceteras functiones Primatus exercere; tum 2° praeterea attingat quoque totum corpus Pastorum in unum conventum vel synodum personaliter adunatorum.

Probamus primum. Sane potestas ordinaria immediata ideo competit Romano Pontifici quia est *Petra*, quia *habet claves*, quia *habet potestatem ligandi et solvendi*, quia est *Pastor*; id ex praecedentibus satis liquet: ergo competit ei ea potestas respectu eorum pro quibus est *Petra*, pro quibus *habet claves*, potestatemque ligandi et solvendi; quorumque est *Pastor*. Atqui terminus ad quem refertur *Petra* est *aedificium*, h. e. unum totum ex pluribus compositum; terminus ad quem referuntur *claves* et potestas ligandi et solvendi est *regnum* h. e. societas una, sive collectio plurium in unitatem coacta; terminus ad quem refertur *Pastor* sunt oves et agni repraesentati numero multitudinis collectivae invicem sub una ratione et vinculo unionis cum Christo, *oves meas, agnos meos*; est nempe *ovile Christi*, quod est totum. Ergo potestas immediata Romani Pontificis fertur in totum aedificium, in totum regnum, in totum ovile; seu in totum Ecclesiae corpus: sive Ecclesia prout est una integra societas, unum regnum, unum ovile, unum corpus, subordinatur immediatae iurisdictioni Romani Pontificis. Quapropter Rom. Pont. regit immediate singulos, immediate omnes simul sumptos: et non ideo regit omnes simul, quia regit singulos; sed e contrario ideo regit singulos, quia regit totum, sive omnes simul. Nam terminus immediatus *Petrae* exhibetur a Christo *aedificium*, clavium *regnum*: unde immediate prius fertur potestas Petri in Ecclesiam, in regnum, in ovile, quam in singulos: ita ut ideo Petrus singulos immediate regat quia spectant ad hanc Ecclesiam, ad hoc regnum ad hoc ovile.

Si conferas doctrinam Patrum superius traditam, idem evinces. Quod enim repraesentatur subiectum potestati Romani Pontificis non sunt tantum singuli, sed universa Ecclesia, totum Ecclesiae corpus, totum regnum, ut consideranti patet.

Probamus secundum, quod, ne longiores simus, satis erit argumento uno vel altero evidenti demonstrare, plenior, si opus erit, tractationem reiicientes ubi de Conciliis directe disputandum erit.

Sane quid est tandem Synodus universalis Pastorum? est universa Ecclesia hierarchica ad deliberandum collecta, est proinde pars po-

tior aedificii, regni, ovilis; atqui totum aedificium, quantum est, incumbit Petrae, totum regnum subest habenti eius claves, totum ovile Pastori obedit. Ergo etiam Synodus oecumenica subest Romano Pontifici ut capiti suo eamque ipse ordinaria et immediata plena sua potestate moderatur et regit. Imo, ut iam monuimus, quod immediate deducitur ex verbis Christi est potestas immediata Petri in totam Ecclesiam, in totum regnum, in totum ovile: porro concilium oecumenicum non est aliquid amplius quam tota Ecclesia, totum regnum, totum ovile: ergo. Et re quidem vera eatenus alia esse posset habitudo Episcoporum ad Romanum Pontificem cum dispersi sunt, alia cum in Synodum omnes coeunt ut in priore hypothesis subessent in in altera pares essent vel superiores, quatenus penes Pontificem esset quidem suprema potestas executiva, ut aiunt, non vero suprema potestas legislativa et iudicialis, sed haec reperiretur tantum in coetu Pastorum: atqui penes Romanum Pontificem non est sola potestas suprema executiva, sed est potestas suprema legislativa et iudicialis quoque, eaque est ipsius propria independenter ab Ecclesiae consensu et voluntate: talis est enim potestas petrae, potestas clavium regni, potestas omnia atque omnes ligandi et solvendi, quae soli Petro data est (Th. I): ergo eadem semper manet habitudo Episcoporum ad Rom. Pont.

VI. Iam vero potestas haec de qua hactenus locuti sumus est vere potestas episcopalis. Potestas Episcopalis est ordinaria et immediata potestas ecclesiasticae iurisdictionis in suo genere completae quae nempe sit legislativa, iudicialis, coactiva. Atqui talis est potestas Romani Pontificis in universam Ecclesiam, imo est perfectissima potestas obtinens apicem Episcopatus. Iurdictio enim ipsius est iurdictio legislativa, iudicialis, punitiva, huc enim redit potestas solvendi et ligandi omnia et omnes; est suprema universalis independens, quia est potestas habentis claves Regni. Hinc, ut iam audivimus, Episcopus is est et dicitur universalis, vel Episcopus catholicae Ecclesiae. Quia vero eadem potestate gaudet in omnes Episcopos, ut probavimus, hinc et eiusdem potestas in Episcopos vere Episcopalis est, unde dictus est Episcopus Episcoporum, Pastor Pastorum.

THESIS XIV.

Quocirca habet Romanus Pontifex in universam Ecclesiam plenitudinem potestatis, non solum quatenus omnia possit, sed quatenus omnis iurisdictionis potestas, qua fideles reguntur, ab ipso est; ideoque Episcopi iurisdictionem ordinariam in suis Ecclesiis non a Christo immediate habent sed immediate a Vicario Christi, cui praeterea iure divino potestas competit eligendi Episcopos, modumque electionis eorum determinandi.

I. Potestatem Rom. Pontificis vere coactivam esse patet ex dictis (Proleg. §. XIX); nunc de eius perfectione sermo est.

Plenitudo potestatis, de qua loquimur, non absoluta est, sed relativa ad societatem quae regitur: est scilicet plenitudo potestatis in regno, et pro regno. Hanc porro claritatis gratia dicimus duplici ratione concipi posse: *positive tantum et exclusive*. Positive tantum, si potestas princeps possit quidem atque ordinario iure omnia quae necessaria et utilia sunt pro regimine totius regni, omniumque subditorum: sint tamen alii qui simul cum ipso et sub ipso, quin tamen acceperint ab ipso, aliquid saltem possint. Exclusive vero, si ita princeps possit omnia, ut omnis potestas qua regnum regitur vel sit sua ipsius potestas, vel sit ab ipsa, ita ut eius potestas vel formaliter vel virtualiter contineat omnem potestatem aliam qua societas regitur. Talis est potestas absoluti monarchae in societate politica.

Plenitudinem potestatis secundum priorem rationem competere Romano Pontifici facili negotio demonstratur. Ea enim hos postulat characteres: quod possit scilicet ordinario iure in iis quae pertinent ad regimen societatis omnia quoad omnes sive in ferendis legibus, sive in iudiciis instituendis, sive in tuenda coercitive executione legum; atque nihil legitime fieri possit contra eius voluntatem, ut omnis proinde potestas alia in regno sit *directe* ab eo dependens (Proleg. §. XVIII, III). Atqui talis est potestas Romani Pontificis in Ecclesia. Qui enim habet claves regni, omniaque et omnes potest ligare et solvere, et idcirco subiectum est unicum potestatis supremae et universalis in Ecclesia, omnesque tum singillatim tum coniunctim immediate regit, is potest profecto ordinario iure omnia quoad omnes sive in ferendis legibus sive in iudiciis instituendis sive in tuenda coercitive observatione legum, omnesque qui sunt in regno quod eorum functiones regiminis directe regit: haec enim sunt propria auctoritatis supremae in societate. Nullus propterea valere potest actus qui contra voluntatem eius ab aliquo fiat qui sit in regno: ad potestatem enim ligandi et solvendi spectat vis efficiendi ut actus subditi,